

honoribus sublimaverunt ^{d)}, prorsus desolatum omni religione ac divino servitio destitutum et, quod sine dolere dicere non possumus, de imperiali abbazia in prioratum vel grangiam Cluniacensem redactum invenit omniumque religiosorum terrae illius consultu et universorum tam principum quam baronum supplici rogatu praecipue tum digne revocandum erat, quod contra sacratissimas imperatorum ac regum constitutiones illicitis ausibus patratum fuerat, monasterium Palmense ab omni extranea et incompetenti Cluniacensium potestate absolvit et in pristinam abbatiae dignitatem, in qua posuerant illud patres nostri, integraliter restauravit. Nos qui pia ac honesta serenissimi patris nostri Friderici Romanorum imperatoris vestigia sequi volentes statuimus et irrefragabili legis edicto sancimus, ne aliqua ecclesiastica secularisve persona prefatae Palmensis abbatiae dignitatem imminuere vel alterius monasterii aut ecclesiae dominio subiicere vel unquam in prioratum resolvere praesumat. Sane ut memoratum monasterium omni tempore tam in rebus quam in libertate inconvulsum semper existat, abbatem eius Huguonem, qui in presentiarum abbatiae eius administrationem habet, omnesque successores eius legitimos omnesque fratres inibi domino servientes nec non et omnes possessiones prefatae abbatiae, quas nunc habet vel in posterum iuste habitura est, in maiestatis nostrae protectionem accipimus et ex ^{e)} lege in perpetuum valitura confirmamus, Gaudam ^{f)} videlicet cum appenditiis suis, Grandem Fontanam cum appenditiis suis, abbatiam Iussani monasterii cum molendinis et aliis appenditiis, Beneuentum, sanctum Mauricium de Buscho, sanctum Germanum de Grosum, sanctum Lanthenum, Barriachum, villam Palmensem, villam de One, Cranseth, Montinium ^{g)}, Lauiniacum, Cincinum, Cauaniacum, Pariniacum, capellam de Bellaura, Cies, ecclesiam sancti Stephani Pontarli et Dolae et obedientiam Sauoneriae, Grosonium, Buuilliacum, Peloniacum et Victorium et quidquid possidet in Niuiacho, ecclesiam Dumblencho, Bletterrencho, Larnacho, Sisinciaco, sanctum Desideratum Ledonis cum omnibus appenditiis et quidquid possidet in burgo Ledonis, Baiarnas scilicet et Furnos et alia plurima, et quidquid possidet Alefractae, sanctae Agnetis, Vincellae, Girulcho, Monnet, Cortanae, Castillioni supra Cortoneam, et quidquid possidet in monasterio, quod est situm supra Estrabonnam cum appenditiis suis, sanctum Renobertum et quidquid possedit supra dictum monasterium tempore Alberici abbatis. Concedimus quoque fratribus

limavunt B
korrigiert B

e) ex korrigiert B, Vorurkunde: eidem
g) so B, Vorurkunde: Montunum

d) sub-
f) Gaudam aus Caudam